



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Armogastvs, & Satyrvs. 29. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

audebit nemo. Quidam forsitan secus interpreta-  
buntur, & ridebunt virtutem ac pietatem tuam:  
sed sine dementes insanire; imò latare, nam Chri-  
stianus, cùm maiè habetur à mundo, diligitur à Deo.  
Ignat. Mart.

## S. ARMOGASTVS, & SATYRVS.

29. Martii.

*Si ergò non vigilaveris, veniā ad te  
tanquam fur, & nescies, quā horā  
veniam ad te. Apoc. cap. 3.*

**A**Mbos Geiserici Arriani Regis furor af-  
flicxit, etsi SATYRUS regiæ domūs Pro-  
curator, ARMOGASTUS Comes esset. Et  
SATYRO quidem, ni ad perfidiam regis mo-  
res suos etiam ipse componeret, ob oculos  
ponebantur officii, bonorum & liberorum  
spoliationes, magna semper apud aulicos  
momenta; Ip̄sā adeò Conjunx ultimæ fortis  
homini, & qui camelos agebat, ad ludibriū  
jam fuerat destinata. Sed facile despicere hæc  
omnia poterat SATYRUS, qui oculos cœlo  
defixerat. Illa expugnare ferreum poterant  
animum: supplex marito conjunx & juncta  
matri

matri Liberorum cohors , firmissima acies :  
 structæ deinde ante pedes insidiæ ; infans,  
 inquam , abjectus , minimus ille , sed maxi-  
 mus apud patrem orator : confusæ denique  
 omnium in unum lachrimæ gemitusq; , po-  
 tentissima apud domesticos tela . Perstigit  
 tamen inconcussus SATYRUS , & objurgavit  
 etiam intempestivam suorum pietatem , ut  
 quæ impium in DEVM esse juberet . Ita ab  
 officio dejectus omnibusq; exutus , in exi-  
 lium nihil præter innocentiam extulit , & fi-  
 dem DEO servatam . Iam ARMOGASTUS  
 cùm nervis tibiæ , & frons torquerentur ;  
 nervo altero hos & fortiori ( Cruce ) non  
 semel rupit . E pedibus suspensus dormire  
 poterat videri . Ad sabulum cruentum dam-  
 natus , virum in arenâ se præstítit ; bobus  
 pascendis præfectus , dignum hunc Martyre  
**Magistratum** censuit esse . Mortuus quoq;  
 tumulari , tamen nonnisi sub arbore voluit .  
 Sed egesta sub hac humus sarcophagum è  
 marmore ostendit tam splendidum magni-  
 ficumq; , ut invidere tumulum  
 pastori Reges potuerint .

*Ex Vitâ, Vitâ.*

MEDIT

## De preparatione ad mortem.

1. **O**mnis vita ad mortem debet esse præparatio, quoniam bona mors res est momenti omnium maximi; imò cætera nugæ sunt, si cum morte componantur. Quomodo te paras ad mortem? An vivis ut moriturus? Tibi fortè vitam polliceris longiorem? Deinceps prima tuarum curarū sit, parare necessaria ad magnam æternitatis viam, ne imparatus cogaris discedere. **P**aratos nos inveniat extrema necessitas, quæ sapè prævenit imparatos. Euch.

2. Morieris, non ignoras, sed semel duntaxat, & in hac unica morte tum felix, tum infelix tua vertitur æternitas. Non hīc agitur de levis cuiusdam boni jacturā, sed de jacturā omnium gravissimā, quodque considerandum magis, irreparabili. **O**mnia metuenda! An est quisquam, qui te diligenter meditetur, quin mundi fugiat pericula, scq; arctiori vinculo DEO conjungat?

3. Ut piè ac sanctè moriaris, piè ac sanctè vive. Nunquam indormias Peccato mortali. Manè, dum surgis, subeat animum hæc cogitatio: **F**orte non vivitus sum ad occasum soli: & dum lectulum petis: **E**odem forsan linteo mortuus involvar, in quo dormiturus sum. Interdum sic te interroga: **E**ssemne nunc ad mortem paratus? **N**ihil ita quotidie ut mortem homines vident, nihil ita obliviscuntur ut mortem. Euh.

S. REG.